AD CLEMENTEM VIII. PONT. MAX. ORATIO

A LAELIO PEREGRINO

ROMAE IN SACRO CONSISTORIO HABITA
Cum vir Illustriss. F. VINCENTIVS CARRAFA
Hungariæ Prior.

Magni Equitum Rhodiensis Magistri nomine
Obedientiam præstaret.
Prid. Kal. Iunij M. D. XCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE, Apud Heredes Ioannis Liliotti.

M. D. XCIII.

PERIVCVNDVM Principatus tui nuncium omnes terras momento peruagatum, si Cæciæ uento similem dixero, quem nubes præter morem ceterorũ ad se trahere ferunt CLEMENS VIII. PONT. MAX. reconditum spectatissimæ alioquin rei simulacrum,& spirantem officij hodierni imaginem mihi uidear ex naturæ arcanis expressisse. Etenim cum remotissimis ille regionibus peregrandis uelocitate uentos anteuertisset, ne dum Christianum Orbem incredibili lætitia commouit, uerum innumeros ad oscula sanctissimis istis pedibus figenda, fruendumq. optatissimo conspectu tuo, in Vrbem euocauit, nobiles undique legationes exciuit, ac Cæciæ instar, sui primordia in orbem repetentis, ad te unum, a quo profecta erat, coegit. maxime uerò cum Siculum præteruecta fretũ flexisset Melitam, F. Hugonem Delubens Magnum eius militiæ Magistrum; & S. R. E. Cardinalem tanta uoluptate compleuit, ut cum concepto gaudio legatione minime satisfactum iri intelligeret, statim ad Petri limina sibi nauigandum decreuerit, quo tibi ad genu accidere, obedientiam, ut moris est, profiteri, summam inter mortales dignitatem gratulari liceret. Sed uarijs impedimentis de die in diem reiectus, ac demum spe Vrbem adeundi omnino deiectus,& exclusus, consilium iniuit per legatos conficiendi, quod per se præstare nequiuisset. Quare F. hunc Vincentium Carrafam, Hungariæ pro Hospitalarijs Priorem, uirum splendore clarissimi generis, ac rebus bello, atque pace feliciter gestis insignem, militem ueteranum, amplissimis militiæ muneribus summa cum laude perfunctum, quaternis peditum millibus in Lusitania, senis in Italia, turmis Equitum non paucis in Belgio ab inuictissimo Hispaniarum Rege olim præpositum, nuper uero Regios inter armorum, atque summi regiminis consiliarios Neapoli adscitum, perpetua Equestri præfectura pacatis rebus uirtutis ergo donatum, magnis negotijs ob spectatam fidem, prudentiam, fortitudinem ab eodem adhibitum ad te legauit, testaturum omnibus, Hospitalis Magistrum, & cõmuni Christianorũ,& singulari ordinis Melitensis nomine, adhuc etiam priuata ratione eam, te Pontifice Maximo renunciato, percepisse uoluptatem, quam Christiana Respub. Optimo Principi credita, sacro collegio honorifica ista deliberatione quæsita laus, antiqua demum eius in te beneuolentia, & obseruantia capiendam esse suadent. Dederint enim ceteri ad Sacerdotij tui nuncium quantascumque lætitiæ significationes, quas tamen maximas exstitisse nemo ignorat, adhuc magnus Magister singularem in communi gaudio se habere partem profitetur, tum quod Cardinalis, tuiq. dum Cardinalem ageres studiosissimus, uiro optimo, & amico charissimo ad summum dignitatis fastigium euecto, nõ potest non summopere lætari, tum quod amplissimis Collegis magna sit facta laudis accessio, cum te uirum doctrinæ, præstantia, uitæ integritate,

perenni erga omnes beneficentia insignem Ecclesiæ Dei præfecerint, & grauissima ista testificatione declararint plus commune bonum, quam priuata commoda ad Vaticani radices in pretio esse, quam porro laudẽ Collegarum probitate partam pro coniũctionis fraternę iure ad se quoque pertinere arbitratur. Huc accedit Sixti V. cõmunis Parentis, atque promotoris numquam interitura memoria, quem quod egregium de te fecisse iudicium rei euentus docuerit, ac de præclaro opere suo nobilissimus artifex lætari posſit, tam gratum habet, quam quod gratissimum. His itaque nominibus tibi Patri Beatissimo, uobis Cardd. Amplissimis gratulatur, non quantum alij fecere, uel facturi sunt, sed quantum nulli. reliquæ enim legationes externæ sunt huic augustissimo cœtui, at ista quasi domestica, uti ab eo profecta, qui pars est Apostolici corporis, cui hoc eodem loco sedere ius est, & rogato sententiam dicere, cuius dignitas omnis & existimatio a sedis huius amplitudine, vt membrorũ uigor à capite pẽdet. Sed quando eius nomine præsens habetur oratio, qui tuũ P. B. in ouilis dominici particula pascenda custodiendaque agit Vicarium, patere ò Summe Pastor, Pastorum rector atque corrector pro iniũcto tibi a Patrefamilias munere, ut, quo pacto erga gregem in fidem acceptum ille se gerat, paucis complectar, tibique militaris huius, ac religiosæ simul familię status, qualis nunc est, cognitio plenior accedat.

Quo loco res Melitenses existerent, cum primùm Hugo Delubens Hospitalariorum Magister dictus est, superuacapeum existimo recensẽre. Illa enim sacri ordinis in partes scissi noua, & deformis facies Europam omnem in ingẽtium malorum exspectationem commouerat, & magno Reip. discrimine externis hostibusque innotuerat. Ille ubi Ordinis gubernacula suscepit, res discordia quassatas, atque prostratas restituit, animos suspicionibus alienatos composuit, seditiosos aliquot officij admonitos in ordinem redegit, cuncta nitori antiquo reddidit, tanto difficiliorem in ea militia reformanda, quam Gerardi, atque Poggij eadem fundanda atque legibus stabilienda prouinciam nactus, quanto animos offensionibus mutuis exulceratos conciliare, quam homines nullo inuicem odio infensos, in unam Reipubl. formam cogere difficilius est. Apparent quidem interdum ad hanc diem antiqui illius incendij nouæ flammæ ab ijs, quos nulla potest uincere integritas, nulla humanitas mollire, in Principem, parentem, & benefactorem suum excitatæ. Sed in magna conflagratione prunas aliquas doloso cinere obduci, quæ in ingentem quandoque flammam assurgant, rerum peritis, neque mirum est, neque inauditum. Ordinis etiam bonis superiorum temporum calamitate oppigneratis inani prorsus ærario, ne dum quod contractum antea fuerat æris alieni diluit, uerum integros anni redditus in sanctius ærarium intulit, cuius tamen laboris fructu breui admodum frui potuit, cum nullis ex Gallia prouẽtibus, (quibus ordinis alioqui neruus continetur) diu ob internecina dissidia perceptis, publico fuerit manus

A appo-

apponenda, & pecunia nuper collecta, in usus necessarios distrahenda priuatis etiam magni Magistri opibus ad communem utilitatem, maximè uero ad rei frumentariȩ leuandam inopiam, larga manu suppeditatis. Quæ enim fœda fames Italiam fere omnem biennio pressit, eadem, ac forte acerbior Melitam peruasit, insulam in solo sterili magna tum indigenarum, tum nobilissimorum Equitum ad caput ordinis ex lege commeantium copia frequētatam, Sicilia præsertim, (quis credat?) illo quondam inexhausto Pop. Romani horreo in summa frumenti egestate superiore anno constituta. Quibus in angustijs magnus Magister cum expedito consilio Religionis triremes opportunè frumentatum ablegasset, etiam binas, quas habet proprias, adulta hyeme in Aegȩum mare transmisit, etsi clausa nauigatione, mari ratibus imperuio, eas perditum iri omnes affirmarent. Sed piȩ menti optimi Pastoris fauit Deus, tantaque frumenti uis ex eo Turcarum horreo auecta, tanta de mercatoribus Christianis alibi coempta, quanta ad pascendam illam multitudinē, & Messanam, quæ ad extrema deuenerat subleuandam satis fuit, cibarijs in mendicos, & egentes, quorum ingens copia Melitam confluxerat, Magni Magistri ære quotidie diuisis. Annonæ penuriam pestis excepit, ne qua tragicarum execrationum in illis partibus grassata minus fuerit, prȩter bellum, à quo nihilominus ne securi diu simus, Orientis motus, & inusitati efficiunt apparatus. Verum in illa terræ atque funestæ luis debacchatione nullum Christianæ pietatis officium a Magno Magistro omissum, quo egentes subleuare, solari afflictos, oppressos erigere posset, breuique eius unius post Deum prouidentia, solertia, charitatè feralis contagio sublata, ac seruata Melitensis res, funditus illa quidem interitura, si Præfectum nacta fuisset paulo minus communis boni amantiorem. Has inter difficultates, atque crebros diuinæ ultionis ictus, ad religiosos quoque fouendos animum adiunxit. Nam duo Monasteria sumptibus proprijs erexit, Virginum alterum, quas dimidiata cruce uoluit insignitas, alterum Frācíscanæ seuerioris familiæ cucullatorum. tertij etiam fundamenta iecit ad mulieres excipiendas, quæ a prostrata, & exposita pudicitia afflatæ numine ad castitatem se uoto traducunt. Sed religioni dum incumbit impensius, non dimittit curam armorum, cruce atque gladio, difficili plerisque societate, in unum facile iunctis nam, & Valletæ urbis propugnacula opere immenso absoluit Italiæ pro firmissimo aggere contra Barbaros futura, & Equites continuis exercet in Turcas emissionibus, redditque rei naualis peritissimos, & ad classes ductandas peridoneos, quod & captiua Turcarum nauigia in Melitensem portum sæpe ducta, & non ita pridem e Rhodiensi custodia binæ captȩ triremes, atque Domosliensis uicus in Phrygia direptus declarant. Quippe ad eas Turcarum Principis maioris natu filij delitias per silentium noctis contenderant nostri, ut illum in amplissimi expectationem imperij procreatum, rebus mox potiturum caperent ociose rusticātem;

aggres-

aggressi rem omnino perdifficilem, Argonauticæ in Pontum expeditioni,uel Herculeis ad hortos Hesperios laboribus, alijsq. heroicorum temporum gestis, si quæ sunt fabulosa magis, comparandam. Sed uirtutem occasio destituit, Turca, dum nostri descensionem faciunt, ab indigena per compendia uiarum admonito, ac beneficio tenebrarum ad interiora cótinentis cum familia nuda,& semisomni elapso,uestibus amissis, & in nostrorum potestatem redactis. Quod nisi conatus generosorum pectorum rustici unius uersutia prodidisset, Italia, triumphum uidisses omnium, quotquot umquam fuere, speciosissimum. Ita durum à stirpe genus per cœptam bellicæ uirtutis uiam, frequentissimis maiorũ uestigijs impressam ita progreditur, ut superiorum gloriæ minime cedat. fuerint enim magna quæ illi in Syria, quæ ad Rhodum, quæ toto Oriente gessere, certe Melitensis uictoria, cuius ipsi spectatores fuimus, & admiratores, nec oppugnatorum multitudine, atque pertinacia, nec constantia propugnatorum,nec editis in ea longissima obsidione stratagematis, ulli ex antiquis facinoribus uidetur posthabenda. quæ si hoc loco a me silentio inuolueretur, prodiret nihilominus per se laureata in medium istud gloriæ Theatrum, ac strues referret hostilium cadauerum,instar mótium congestas; innumerosque recenseret fortissimos Equites post admiranda uirtutis præbita experimenta, sagittis transfixos, confectos acinace, uel ferrearum glandium procella discerptos; quorum nomina egregijs coniuncta factis iniuriarũ temporis fama uindex per orbes æternitatis diutissime actura est. Longe uero ante alios hunc Hungariæ priorem, & qui apud Sanctam Sedem Orator adest ordinarius ALPHONSVM DE TEXEIDA Summum Ordinis Cancellarium digito indicaret,recenti tum proprio,tum hostili sanguine respersos, in atrocissimi belli mole sustinenda magnam fortitudinis famã adeptos,ex obsidionis illius superstites ruinis, quos diuina bonitas, & innata uirtus, una cum arce,& insula seruatos hostis furẽtis gladio subtraxit, testes diu futuros apud posteros belli sæuissimi, ac fortitudinis tantę,quantam nec temere maiores experti sunt,nec qui sequentur, sint facile explicaturi. Persuasum erat Barbaris Melitam munitionibus nondum perfectis ad primam impressionem opprimi posse, & quasi foetum immaturum intra dolores partus nullo negotio præfocari. accinxerant se ad predam, ne dum comparauerant ad bellum. sed quod uiri fortissimi magno sibi malo antea tentati denuo essent armis impetendi,classem ingentem adornarant,magnoque militum robore, & enormis magnitudinis admirandique inuenti machinis instruxerant, quibus cælum ipsum,si pateret ictibus,uesani atque impij homines, germana Nembrodi propago, iactabant cessurum. Sed aggerem offenderunt opinione solidiorem, quo euertendo labor omnis,& industria foret eludenda, fortia uidelicet crucesignatorum pectora, Deo suam tuente causam, aggeres, munitiones, propugnacula semiperfectæ arci fuere; Italiæ dicam potius

tius, quam Barbarus animo uorauerat, ac Melita euersa regnatori Asię, Aegypti, Lybiæ, Gręciæ, Thraciæque euersori arbitrabatur minime restituram. Sed restitit immanissimo hosti inuicta, præsidio diuino fulta, Hospitalariorum uirtus, ac se illi opponet perpetuo; attritæ quamuis nimium sint Ordinis uires, Anglia, Scotia, Hibernia, Hungaria, Dalmatia, Græcia penitus amissis, parum omnino suppeditante Germania, nutante, ac nulla, ob exitiale bellum, a multis annis uectigalia prębente Gallia. sustinebit tamen dignitatem qnantum poterit, non despondebit animum, nec sibi arma è manibus diffluere patietur. Cum olim in Syria Latinorum imperium caderet, eadem ruina res quoque Hospitalariorum traxit. sed impiorum armis exturbati, non quæsiuere loca ab hostibus, ne eandem quandoq. subirent aleam, remotissima. uerum, ut generosę alites ui loco pulsę ab exturbatorum conspectu quam minimum recedunt, & è fuga subinde se conuertunt, quasi rediturae ad pugnam, ita isti amissa Hierosolyma Ptolemaidam muniuere. postea accisis, & euersis in Syria christianorum rebus, tenuere Cyprum, Rhodum inde, demum Melitam ad fines Turcarum positam, unde tāquam e specula uicina barbarorū consilia intueri, excubare in omnes euentus, piratarū in nostra maria incursiones cohibere possint, & classem in illos cōmode educere. classem inquam, proh Deum immortalē, pusillam nimis, ubi numerus atq. moles nauigiorū expendatur, ceterum formidatā Barbaris, inquam incidisse magni sępe mali loco ducunt, quam ad propria appulisse nūquam lętati sunt, qua maxime factū, ut gens maritimę rei gloria florentissima fastu deposito, se, ne dum uinci posse, uerū in co genere à nostris longe superari non semel experta fuerit. In hanc classem, flagellum Orientis, inferi maris, & Italię securitatem, qui recenter in ordinē nomina dedere, imponuntur, quinquennali opera Tyrociniū deposituri. hęc de nouitijs exiguntur experimēta uirtutum, uasto & furenti se pelago credere, ab urbanis delicijs longe abesse, torreri Sole, uexari gelu, corruptis frequenter cibis uesci, raro ad saturitatem, cū uētis, atq. procellis perpetuo luctari, periclitari de salute inter infestas scopulorū cautes, demum ab interitu abesse tantum quantum distāt a fluctu, quin & mortem quodāmodo ciere atq. lacessere, dum in hostica dirigunt cursū, atq. barbaros toto mediterraneo mari quasi profugos persequuntur ad pugnam. Hos igitur, uiros ęque fortes, & religiosos, de Christiana Repub. optime meritos ab ijs perturbari patieris, P. B. a quibus ob accepta beneficia nouis in dies pręmijs essent cumulandi? frustra igitur toties pro Christo itum in mortē? ad quę, oro, pręmia tāta sanguinis seruatur effusio? diuinis, sat scio, non fraudabitur, hic uero quid illi mercedis erit? num bos triturans infręnabitur, uel apū mella fuci comedēt? Ah P. B. extrema ista exterminandę uirtutis indicia ętas nostra ne spectet. horum patrociniū nemo Christianorum Principum sibi censeat deferendū, horum inquam, qui cōmunem fidei causam, contra publicos ho-

A ij stes

ſtes armis perpetuo tuendam recepere. Quę.n.á noſtris contra Turcas expeditio umquã ſuſcepta, in quá non hi confeſtim accurrerint, & egregiam operam nauarint? Ecquãdo chriſtiana ſigna licuit in Barbaros uecſa intueri, quin candidę cruces generoſis prelatę pectoribus uiſę ſint ceteris pręire, uiá ferro ad uictoriam aperire, uel ad morté, ſi aduerſo Marte premerentur, conſtantisſime dimicare? Siue.n.capitur Tunes, ſiue obſidetur Algerium, ſiue pugnatur ad Gerbas, ſiue claſsis Pontificia Hiſpanorum auxiliaribus aucta copijs in Cyprum ſoluit, inuictisſimo illo, atque ſummis Heroibus æquando M. ANTONIO COLVMNA duce, ſiue proximo poſteriore anno Italiæ, Hiſpaniæq. uiribus in unum ſacro fœdere collatis, Orbis in partes religionis ſacramento diuiſus ad ſinum Corinthiacum de maris imperio decernit, ſiue aliàs illi in nos arma mouent, ac ipſi uicisſim reſiſtimus, aut in eoſdem impetum facimus, vbique uidere eſt Hoſpitalarios rutilãte redẽptionis noſtræ vexillo conſpicuos, hoſtibuſq. formidandos in prima acie conſiſtere, primos in Barbarorũ ordines, qua cõfertisſimi ſunt, irruere, ſcãdere primos obiectas munitiones, primos in hoſtiles triremes inſilire, & quandoq. hoſtiũ uim excipere, ac ſuſtinere ſolos, ceteris in fugam effuſis, itaq. uulnera, & mortẽ contẽnere, quaſi uel ſenſus doloris eſſent expertes, uel in alieno corpore dimicarent. O ſanguinem generoſum vena inexhauſta pro Chriſto, & eius mẽbris fuſum. O victimas Deo gratas cruento admodum ſacrificio ad fidem amplificandã deſtinatas. O uoluntaria holocauſta in Chriſtianæ Reipub. defenſioné hoſtili ſæpe ferro abſumpta. Hunc ſánguinẽ, has victimas, hæc holocauſta tibi Magnus Magiſter pollicetur perpetuo ad fidei propagationé parata. quin ſeipſum in pio ferro innutritus, & ultra bellicam laudé, inueterata prudentia ab aſsiduo rerũ uſu auctus, profitetur ad pericula ſubeunda, ubi res ferat, prõptisſimum. Et quidem ſi per valetudinem, atq. difficultates temporum, ac Melitenſis Reipb. diſcrimina eum abeſſe liceret, properaſſet ad ſanctisſimos iſtos pedes oſculandos, nec itineris longinquitas, uel maris incõmoda, uel monſtra illa Siculo freto nauigantibus infeſta eum ab inſtituto deterruiſſent. Sed dimittere caput rerum tempore alienisſimo, afflictam ualetudiné procelloſo mari cõmittere, non ei uidebatur tutum. Quod igitur per ſé conſequi non potuit, per legatos hoſce, duo clarisſima ordinis Melitenſis lumina præſtat, qui tam Magni Magiſtri, quam Hoſpitalariorũ nomine perpetuã tibi reuerentiã, obedientiam, ſubiectionemq. ſpondent, ac deferunt, & in eadem mente ad extremum ſpiritum permanſuros pollicentur. Te unicum, & ſummum Chriſti Vicarium, te Petri ſucceſſorem, te chriſtianæ Reipub. caput, te cæleſtis numinis interpretem, te diuini iuris cuſtodem agnoſcunt, & profitentur. Reliquum eſt, P. B. vt legationem iſtam beneuolo, & paterno animo excipias, uti ſoles, ac rem Melitenſem totis viribus promoueas, quo omnes intelligant, poſſe quemq. laborum ſuorum a te fructus exſpectare cumulatisſimos.

DIXI.